

TITULUS XVI.

De adulteriis et stupro.

1. I^o. *De adulterio*. In *can. 2. caus. 36. q. 1.* adulterium dicitur *'violatio fidei et tori conjugalis'*. Scilicet verificatur adulterium quoties unus conjux copulam carnalem habeat cum tertia persona. Ut vero perpetretur adulterium formale ad subeundas pœnas duo requiruntur 1^o. *dolus* seu animus violandi fidem conjugalem; 2^o. *actualis copula carnalis*. Quare ignorantia facti excusat, nec adulterium constituunt simplices delectationes, et actus impudici, qui absque copula ponantur. Si alteruter ex coëuntibus solummodo sit matrimonio ligatus, adulterium dicitur *simplex*; *duplex* vero si uterque ex coëuntibus ligetur matrimonio cum distincta persona.

2. Jure divino-positivo Veteris Testamenti (*Lev. 20. et Deuter. 22.*) pœna adulterii erat mors mœchi et adulteræ. Quam pœnam Constantinus Imperator renovavit in jure civili *l. 30. § 1. Cod. h. t.* Ante enim Constantinum statuta fuerat pœna exilii; *l. 5. ff. 'De quæstionibus'*. Jure canonico contra laicos adulteros statuta fuit excommunicatio ferendæ sententiæ. *Cap. 6. h. t.* Mulieres adulteræ consentiente marito, poterant detrudi in monasteria sub rigida custodia ut ibi agerent perpetuam pœnitentiam. *Cap. 19. 'De conversione conjugatorum'*. Clerici adulteri juxta *can. 11. dist. 81.* deponi debebant ab officio et beneficio, et detrudi in monasteria ad pœnitentiam agendam.

Pœnæ hujusmodi ob contrariam consuetudinem obsoleverunt, et successit alia pœna juxta locorum mores, vel arbitrio prudentis judicis infligenda.

Inter pœnas quæ sequuntur ex adulterio est etiam illa divortii quoad torum et cohabitationem instituendi ad petitionem conjugis innocentis.

3. Quæritur quinam possint agere contra adulterum conjugem ex titulo adulterii.

Si sermo sit de actione civili ad sarcienda damna orta ex adulterio, quilibet potest contra adulterum conjugem judicialiter agere, qui ex adulterio damnum passus fuerit. Quoad divortium obtinendum vir potest agere contra uxorem adulteram, quemadmodum etiam viceversa uxor contra virum adulterum, quia divor-

tium procedit ex rupta fide juxta illud principium: *'Frangenti fidem fides frangatur et ipsi'*. Ad accusandum vero criminaliter conjugem adulterum, admittitur 1^o. conjux innocens. Jure quidem romano vir poterat criminaliter agere contra uxorem *l. 1. Cod. ad legem Juliani*; non autem viceversa. Jure autem canonico mulier æquiparata est viro, ita ut uxor etiam possit criminaliter agere contra virum. Ita in *cap. ult. et pen. caus. 32. q. 2.* 2^o. Admittuntur pater et proximi consanguinei conjugis innocentis, qui justo dolore tacti ob crimen præsumuntur. Jure Romano hisce deficientibus admittebantur etiam extranei, sed hodie ne domesticæ maculæ revelentur in præjudicium pacis et honoris familiarum, nisi adulterium sit publicum et causa scandali, non tam facile extranei admittuntur ad denunciandum vel accusandum adulterium, sed attenditur querela conjugis innocentis.

4. Judex autem in causa adulterii potest esse ecclesiasticus vel sæcularis. Si vero quæstio fiat de sola separatione tori et cohabitationis ex capite adulterii solus judex ecclesiasticus est competens, quia judex ecclesiasticus est, qui videre debet, an obligationes ex vinculo matrimoniali ortæ perseverent vel non. *Capp. 3. et 4. 'De Divortiis'*.

Si de causa adulterii agitur, simulque agitur de causa sanguinis, solus judex laicus de adulterio videt, quia Clerici prohibentur *cap. 5. et pen. 'Ne clerici vel monachi'*.

Tandem si de adulterio agatur criminaliter idest solummodo ad vindictam publicam, adulterium est crimen mixti fori, ecclesiastici nempe et laicalis, ita nempe ut detur locus præventioni. *Cap. 8. 'De foro competen.'* *cap. 1. 'De off. Jud. ordin.'* et *cap. 3. 'De procurator.'*

5. Relate ad probationes animadvertimus non requiri *directas* per testes et documenta, quæ juridicam existentiam facti ostendant. Si enim hæc requirentur, nullum vel fere nullum adulterium puniretur. Quare in defectu testium, præsumptiones vehementes et violentæ conjecturæ, et adminicula admittuntur, quæ viro prudenti rationalem præbeant persuasionem et moralem certitudinem de existentia delicti. *Capp. 2. et 12. 'De præsumptionibus'*. Notandum vero est, ad virum damnandum non esse sufficientem mulieris juratam confessionem, qua dicat se ab illo fuisse corruptam, si vir factum deneget *cap. 5. h. t.* Immo potius viro neganti creditur, quia asserenti incumbit onus probandi.

6. II^o. *De stupro*. Stuprum communiter dicitur '*illicita virginis defloratio*'. At ad notionem stupri rite determinandam videtur attendenda esse mulieris voluntas. Scilicet si virgo explendæ libidinis causa consenserit in copulam carnalem, absque violentia viri vel seductione, habebitur simplex defloratio. Quod si puella vel oppressa vi, aut territa minis, aut seducta blanditiis et promissionibus passa fuerit deflorationem habebitur stuprum in sensu juris. Hinc stuprum aliud *simplex* est, aliud *violentum*. Simplex est defloratio virginis seductæ, violentum est illud quo per vim invita virgo oppressa vel minis territa defloretur. Quoniam vero puella non verecunda nec modesta, sed potius adsueta liberioribus conversationibus, et suspectæ consuetudini addicta non præsumitur honestis moribus decorari; quare nec præsumitur seducta, sed potius præsumitur in copulam consensisse ad explendam libidinem, hinc quando non constat de præcedenti vera honestate puellæ, sed potius indubia signa habeantur licentiæ et vitæ minus honestæ et custoditæ, stuprum intervenisse non præsumitur, sed simplex defloratio.

Cum seductio vel violentia possit adhiberi etiam contra honestam viduam, hinc doctores etiam in honesta vidua stupri notionem et juris dispositionem, quæ proprie de virginibus est agnoscunt et tuentur.

7. Hisce positis, ex simplici defloratione non descendit ulla obligatio viri, sive in matrimonium ducendi sive dotandi puellam defloratam. Defloratio enim in casu reducitur ad peccatum contra castitatem, nec ulla mulieri consentienti injuria est illata, quæ compensationem exigat. 'Scienti enim et consentienti non fit injuria neque dolus'. *Reg. 27. Jur. in VI^o*.

8. At in stupro præter peccatum deflorationis reperitur etiam læsio justitiæ ob injuriam illatam honestæ puellæ quæ jacturam passa est honoris sui, et spem forsitan amisit nuptiarum conditioni suæ convenientium. Quare hæc injuria est reparanda. Ex sensu *capp. 1. et 2. h. t.* reparatio injuriæ ita facienda præscribitur: 'Scilicet stuprator ducere in uxorem tenetur mulierem violatam; si id facere recuset tenetur eam convenienter dotare, quod si non possit dotem congruam solvere, subire debet pœnas corporales detrusionis in monasterio seu potius in carceribus publicis'. Notandum est in capite 1^o. locutionem esse copulativam, ex qua videretur stuprator teneri ad dotandam simul et ducendam uxorem

puellam stupro violatam. At constans interpretatio capitis semper illud accepit in sensu disjunctivo, ita ut vir teneatur vel ducere, vel dotare puellam.

Si stuprator est Clericus, præter dotem, quam juxta cap. 1. h. t. mulieri solvet, ex *cann. 12. et 13. Distinct. 81.* deponendus est. At forsitan in praxi tenenda est sententia eorum, qui tenent Clericum stupri auctorem puniendum esse arbitrio judicis.

9. Auctores in hoc titulo communiter agunt de variis speciebus criminum contra sextum Decalogi præceptum præsertim prout habent relationem ad forum externum.

Breviter sit sermo de fornicatione, concubinato, incestu, sacrilegio et de delictis contra naturam.

10. I^o. *De fornicatione*. Fornicatio specificè sumpta est 'concupitus personæ solutæ cum muliere soluta absque stupri qualitate'. Fornicatio si deducatur ad forum externum plectitur pœna extraordinaria et juxta prudens judicis arbitrium. Vir non tenetur mulierem ducere vel dotare, sed prolem alere tenetur quæ ex fornicatione nascatur. *Cap. 5. 'De eo qui duxit'*. Quod si plures commercium habuerint cum eadem muliere, onus alendi prolem vel uni vel omnibus imponendum est, prout proportio temporis inter epocam commercii et partus, physiognomia prolis et alia adminicula, unum vel plures auctores criminosa conceptionis fuisse insinuant. Præ primis autem favor prolis est attendendus, quæ absque alimentis relinqui nullatenus debet. Cæterum ubi publica caritatis hospitia pro excipiendis expositis infantibus instituta sunt, filii ex illegitimo concubitu relinquendi facile non sunt parentibus ob scandali periculum.

11. II^o. *De concubinato*. Concubinatus jure Romano verificabatur 'cum quis domi mulierem solutam loco uxoris retinebat'. In ordine autem ad pœnam concubinatus locum habet 'cum quis sive domi sive extra illicitum commercium carnale assidue exercent'. De Clericis concubinariis in specie agitur in *lib. 3. tit. 2.*

Ad extirpandum vero concubinatum etiam laicorum Concilium Tridentinum in *sess. 24. De Ref. matr. c. 8.* statuit concubinarios quoscumque, si postquam ab Ordinario etiam ex officio ter moniti, concubinam non dimiserint, non absolvendos esse, sed excommunicatione ligari, quoadusque admonitioni non obtemperaverint. Re late autem ad mulieres statuit Concilium Tridentinum eas ab

Ordinariis graviter puniendas esse, et si videbitur Ordinariis easdem expellendas esse extra oppidum vel Diocesim invocato etiam brachio sæculari.

12. III^o. *De incestu*. Incestus stricto sensu sumptus est 'illicitus concubitus inter consanguineos vel affines in gradu vetito ad contrahendum matrimonium existentes'. Incestus lato sensu sumptus comprehendit 'illicitum concubitus inter personas habitum, quæ impedimento dirimente detinentur ad contrahendum inter se matrimonium'. Potest esse *simplex* vel cum *attentato matrimonio*.

Reus incestus simplicis si est laicus punitur excommunicatione ferendæ sententiæ. *Can. 'De iis' caus. 35. q. 2.* — Clericus vero incestuosus deponendus est, et beneficio privandus, *arg. cann. 10. et seqq. Dist. 81.* in quibus hæc pœna adulteris Clericis assignatur. Jamvero incestus non adulterii crimine inferior, immo majus crimen dicitur *can. 11. caus. 32. q. 7.*

Nuptiæ incestuosæ puniuntur excommunicatione latæ sententiæ. *Clem. un. 'De consang. et affin.'*

At hæc censura cessasse dicenda est, quia non enunciatur in Constit. Pii IX. *'Apostolicæ Sedis'*.

13. IV^o. *De sacrilegio*. Quamvis sacrilegium locum habeat quoties concubitus locum habeat cum persona speciali voto, vel ordine majori Deo consecrata, tamen in foro externo in ordine ad pœnas canonicas sacrilegium est 'copula carnalis cum moniali'. Pœnæ sunt: Laicus excommunicatur. Clericus autem privatur beneficio, deponitur ab Ordine et in Monasterio detruditur ad pœnitentiam. *Can. 6. et 28. caus. 27. q. 1. et Doctores ibid.* Monialis vero, si libere consenserit, detruditur in arctius monasterium vel in carceribus monasterii sui, ad perpetuam pœnitentiam agendam. *Cann. 11., 28. et 30. caus. 27. q. 1.* Huc referenda est dispositio Constitutionis *'Apostolicæ Sedis'* Pii IX. in qua sub § 1. de excommunicationibus latæ sententiæ Ordinario reservatis, huic excommunicationi subjici decernitur 'omnes in sacris ordinibus constitutos, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes, necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes'.

14. V^o. *De criminibus contra naturam*. Crimina contra naturam in materia sexti præcepti sunt *sodomia, bestialitas, molli- ties et inordinatus congressus carnalis cum muliere ad evitan-*

dam probris generationem. De priori solum crimine Canones in specie tractant. Hinc contra reliqua si ad forum externum uti crimina deducantur, puniri poterunt pœna extraordinaria juxta malitiæ et scandali qualitatem. Breviter igitur

De sodomia. Hoc crimen horrendum appellatum nil aliud est 'quam coitus carnalis non servata debita diversitate sexus'.

A jure ipso civili inflictæ fuisse leguntur gravissimæ pœnæ sodomitis. In jure canonico laicus de sodomia convictus præcipitur excommunicari. *Cap. 4. 'De excess. Prælat.'* Clericus vero privatur beneficio et a statu clericali dejicitur; *eod. cap.*

Accessit vero Constitutio S. Pii V. *'Horrendum'* III. Kal. Sept. 1568 in qua ita decernit: 'omnes et quoscumque presbyteros et alios clericos sæculares et regulares cujuscumque gradus et dignitatis tam dirum nefas exercentes omni privilegio clericali omnique officio, dignitate, beneficio ecclesiastico auctoritate ipsius Constitutionis, idest ipso facto privari, ita ut per judicem ecclesiasticum degradari et potestati laicæ tradi debeant, et eisdem applicetur pœna, quæ pro laicis de hoc crimine convictis statuta est'.

TITULUS XVII.

De raptoribus et incendiariis et violatoribus ecclesiarum.

1. I^o. *De raptoribus*. Raptus duplex in titulo consideratur, *personarum et rerum*. Raptus personarum consideratus in ordine ad explendam libidinem, definiri potest 'violenta virginis vel alterius cujuscumque honestæ feminæ de loco in locum abductio libidinis explendæ causa'.

Raptus juxta Romanorum jus pœna mortis puniebatur. *L. un. Cod. 'De raptu Virginis'*. Ex jure canonico pœnæ sunt ut laicus raptor excommunicetur, clericus vero ab ordine clericali degradetur. *Cann. 1. et seqq. caus. 36. q. 1. et cap. 4. 'De purg. canonica'*.

2. Raptus rerum seu crimen rapinæ definitur 'Rei alienæ mobilis vel semoventis injusta et violenta ablatio'.

Contra raptorem rerum statuta est pœna excommunicationis ferendæ sententiæ ab Episcopo loci ubi rapina patrata est: Eidem

porro Episcopo reservata est absolutio ab hac pœna excommunicationis, licet lata sit in subditum alienæ diœcesis. *C. 1. h. t.*

Insuper raptor si decedat in contumacia in proposito manens non præstandi congruam satisfactionem, privatur honore sepulturæ ecclesiasticæ. *Cap. 2. h. t. et cap. 2. 'De furtis'*. Publici autem latrones non gaudent jure sacri asyli seu immunitatis.

3. IIº. *De incendiariis*. Incendiarii dicuntur 'qui dolo malo, ob causam odii vel lucri, incendium excitant vel mandant, aut consilium præbent, ut incendium excitetur in ædibus, in segete, in silva vel in rerum combustibilium acervis'. Incendiarii jure canonico triennali pœnitentia mancipabantur. *Cap. 6. 'De injuriis et damno dato'*. Juxta autem *can. 31. 32. caus. 23. q. 8.* incendiarii sunt excommunicandi, nec absolvendi antequam damna reparaverint, et si impœnitentes decesserint privantur sepultura ecclesiastica. Reparatio autem damnorum non facta ab incendiariis ipsis, facienda est ab eorum hæredibus. *Cap. 5. h. t.* Licet vero excommunicatio incendiariis inflicta possit ab Episcopo absolvi, tamen si incendiarii fuerint per sententiam ecclesiæ publice denunciati, absolutio a censuris reservata est Romano Pontifici. *Cap. 19. 'De sentent. excomm.'*

Notandum est contra incendiarios Ecclesiarum, Cœmeterii, et locorum ad triginta passus eis contiguorum statutam fuisse excommunicationem latæ sententiæ. *Can. 31. caus. 33. q. 8.; can. 106. caus. 11. q. 3.* Verum cessasse hanc pœnam dicendum est, quia non legitur renovata in Constitut. Pii IX. '*Apostolicæ Sedis*'.

4. IIIº. *De violatoribus Ecclesiarum*. Violatores Ecclesiarum illi dicuntur 'qui ecclesias vel loca religiosa ingrediuntur, violenter sibi aditum aperientes, simulque spoliant'.

Violatores hujusmodi puniebantur excommunicatione latæ sententiæ. *Cap. 22. 'De sentent. excomm.'* et *can. 5. caus. 17. q. 4.* De hac vero censura explicita mentio non fit in citata Constit. '*Apostolicæ Sedis*'.

Quod si alterutrum elementum violationis Ecclesiæ desit, idest si desit vel infractio loci, vel spoliatio, excommunicatio latæ sententiæ in aliam ferendæ sententiæ convertebatur. *Arg. cap. 16. 'De foro compet.'* et Glossa recepta in *cap. 22. 'De Sentent. Excomm.'* Mentione digna est dispositio *cap. 4. h. t.* ubi statuit Pontifex Raptorem et Violatorem ecclesiarum manifestum non

posse admitti ad pœnitentiam ante reparationem sufficientem damnorum, aut saltem ante cautionem præstitam. In articulo autem mortis si pœniteat quidem sed nequeat reparationem spondere, reconciliabitur utique, sed Clerici prohibentur quominus sepulturæ ejus præsentibus assistant.

TITULUS XVIII.

De furtis.

1. Furtum definitur 'Ablatio rei alienæ invito rationabiliter domino'.

Domini irrationabilitas præsertim verificaretur si ipse nollet rem suam subripi ab eo etiam qui versatur in extrema necessitate.

Qui propter necessitatem furatus est juxta *cap. 3. h. t.* subditur pœnitentiæ per tres hebdomadas. At hæc pœnitentia est ad cautelam ob dubium quod potest oriri circa qualitatem necessitatis et ad ingerendum in fidelibus, quo fieri possit, odium in furtum. Canon hic cum ceteris pœnitentialibus ab usu recessit.

2. Pœna furti in jure Canonico contra laicos non designatur. Utique in *cap. 1. h. t.* qui furatur hominem et vendit dignus morte dicitur. At hæc dispositio sumpta ab Exodo *cap. 21.* non indicat Ecclesiam quæ abhorret a sanguine, infligere pœnam mortis, sed docet, quæ sit pœna reis tanti criminis a laicis iudicibus infligenda.

3. Clerici autem rei furti notabilis, et præsertim iterati sæpius, ob infamiam quam incurrunt, suspenduntur a suis ordinibus jam susceptis, et ad majores promoveri prohibentur. *Can. 12. dist. VI. et cap. 10. 'Cum non ab homine' 'De Judiciis'*.

4. Mentione digna est dispositio *cap. 2. h. t.* quæ deprompta est ex *cap. 31. Concilii Triburiensis ann. 895,* quæque ita legitur: 'Fures et latrones si in furando vel deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi aut vulnerati presbytero vel Diacono confessi fuerint communionem eis non negamus.' Prima pars hujus capituli statuit orandum non esse pro furibus demortuis in flagrante crimine, quia in peccato mortui præsumuntur. Secunda pars videtur insinuare confessionem fieri posse etiam Diacono.

Non pauci Doctores afferentes Canonem originale Triburiensem ex spicilegio Theodori Cantuariensis, in quo ne verbum quidem

reperitur de Diacono, dicunt errorem incēpisse a Burcardo, quem secuti sunt Gratianus, et Collector Decretalium. Siquidem Burcardus secutus codicem Reginonis Prumiensis, in quo vox *Deo*, vel *Domino* breviata exhibebatur, ceu solebat in Codicibus fieri, illud *Deo* vel *Domino* legit pro *Diacono*.

5. Ceterum sumpto etiam Canone prout inest in corpore juris, difficultas contra Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ disparet, si animadvertatur aliquando in defectu sacerdotis Diaconos fuisse delegatos ad lapsorum confessionem excipiendam, et non quidem uti ministri sacramenti delegabantur, sed ut cognosceretur verus status decedentis et sincera conversio ad Deum.

Pœnæ, quas jus canonicum statuit contra crimina, quæ communia dicuntur et civilia demonstrant curam Ecclesiæ ipsius advigilandi circa moralitatem publicam, et per suas sanctiones efficiendi bonos cives; eosque a criminibus quam maxime deterrendi. Hinc pœnæ istæ nec inutiles sunt, nec Ecclesia in illis statuendis provinciam suam ullo modo egressa esse dici potest.

TITULUS XIX.

D e u s u r i s .

1. Usura *lato sensu* sumpta criminis conceptum excludit, significat enim id quod ob usum rei alicujus exigitur: ex. gr. usura dici potest pensio quæ in locatione et conductione statuitur a conductore solvenda. *Stricto autem sensu* sumpta usura definitur 'pretium vel res pretio æstimabilis, quæ in mutuo exigitur'. Aliis verbis est: 'Lucrum immediate ex mutuo derivans.' Verificatur autem quando creditor a debitore recipiat aliquid præter sortem debitam.

2. Quæritur: an, et quo jure usuræ prohibeantur. Distinguendum est utrum usuræ percipiantur solummodo eo quod res fungibilis alteri in usum data, restituenda est in eodem genere, quantitate et qualitate, idest vi mutui; vel utrum percipiantur ex *titulo extrinseco* qui contractui mutui accedat. Si primum verificetur prohibitæ sunt usuræ; si secundum usurarum perceptio licita et rationabilis est; quia usuræ percipiuntur non vi mutui, sed vi tituli extrinseci qui pretio æstimabilis est.

Quibus positis quæritur, quo jure prohibitæ sunt usuræ quæ vi mutui exiguntur?

3. Jure Romanorum mutuum consideratum est ceu contractus stricti juris, quo nullo jure cogente, res quæ usu consumitur, et præsertim pecunia alteri traditur cum obligatione restituendi rem in eodem genere, qualitate et quantitate. Hinc ratio mutui posita est in beneficio mutuantis erga mutuatarium. Scilicet mutuans, nullo jure cogente rem suam tradit mutuatario, qui eam facit suam, et ea tamquam sua utitur, illamque consumat; tenetur solummodo sortem reddere creditori suo, idest mutuanti.

Quod si vero mutuans sibi stipulatus fuisset usuras, idest si stipulatio et pactum adjectum fuisset contractui mutui de solvendis usuris, dummodo immodicæ non essent, creditor jure Romano poterat usuras exigere vi pacti adjecti. Quare licet mutuum retineat per se indolem beneficii, seu contractus gratuiti, tamen inductum est medium juridicum, quo creditor aliquid exigere poterat et assequi ultra restitutionem sortis. At pactum non immutabat naturam contractus. Hinc semper vi mutui lucrum ultra sortem percipiebatur.

4. Quid dicendum de jure naturali?

Conformis non est Doctorum sententia. Aliqui dicunt moderatas usuras in mutuo non prohiberi ex stricto et riguroso jure naturali. Nam licet mutuans nec damnum positivum experiatur, nec lucrum amittat ex traditione rei suæ alteri facta, tamen verum est ipsum semper facere beneficium mutuatario, quod posset non facere. Nullo enim jure cogi supponitur mutuans.

Jamvero præstatio beneficii est pretio æstimabilis. Ergo aliquid exigi poterit.

5. Alii auctores tenent juri naturali usuras adversari, quia mutuum est contractus natura sua gratuitus, ita ut quis posset suam rem utique non dare, quia dominus est, at si dederit, ob ipsam solam concessionem rei nihil possit exigere ultra restitutionem sortis. Et sane: creditor lucrum non potest percipere sive pro ipsa sorte, sive pro usu illius. Non pro sorte quia in contractibus sequimur justitiam commutativam, quæ jubet servandam esse æqualitatem inter id quod datur et id quod accipitur, ex. gr. in contractu emptionis et venditionis pretium representat et adæquat valorem rei venditæ. Ergo si pro sorte dantur centum, centum etiam restituenda sunt titulo sortis. Non pro usu exigi potest lucrum. Nam res fungibilis tradita, transit in dominium mutuatarii, qui ceu dominus rei ejus periculum in se suscipit et